

P V I S

1 6 1 1

U  
24



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ec. 50.

11  
4  
BARTOLEMÆI  
BILOVII

EPIGRAMMATVM

LIBELLUS XVI.

IN DOMINI BARTOLEMÆI BILOVII  
Viri Nobilis & Doctissimi Tesseram,

*Spes mea Christus erit: Durum patientia vincet.*

**C***Vispes Christus: Ei spes est Adamantina; vincē  
Nescias; Maior Humo; Soleq; cura DEVM:  
Si comes huic patiens mens; Aspera, duraq; sternit  
Fata; vices subigit; Tartara victa domat.*

CHRISTIAN CHRISTIAN

In procerum veteris Marchiæ val-  
le, patriâ suâ Consul, 8. idus

Decemb. Anno

1601. F.



MAGDEBURGI,

Typis Andreae Dunckeri.

4

AMPLISSIMIS ET PRVDENTIS-  
simis viris, Consulibus, ceterisq; Senatoribus ce-  
leberrimæ vrbis Stendaliæ, patriæ dilectif-  
simæ, fautoribus suis obseruandis,  
Salutem.

QVia veró vobis, Viri Amplissimi, exiguum  
Epigrammatum libellum, in ordine XVI. sancio;  
ad id negotium invitavit me singularis vestra, erga litte-  
ratos inprimis humanitas, quâ præluceat omnibus: in-  
vitavit studiorum, quibus commendamini, ratio. Enim  
heic dum vixi aliquamdiu, loci memoriam & moni-  
mentum erectum mihi relinquere, & gratitudinem a-  
nimi Hospes erga Magistratum, & civis erga patriam  
declarare volui. Accipite igitur meas, quas obfero, curas,  
immò nugas & columbas Poeticas: Sed Mehercules,  
quam infelici fidere natas! Doctius forsán aliquid & in-  
geniosius dedissem: si cum Musis meis inter libros ver-  
sarer. Verum præsenris me procella temporis ad inquieti-  
maris scopulos, vbi inpingentium Nautarum concursus,  
ne aspirare quidem ad portum audent, magno fluctuum  
impetu detrusit: ita, vt mens inquires quid agat, aut quod  
agit, quomodo expediat, non videat. Subsistam si illud  
à vobis impetravero, ut hæc extemporanea pleraq;, con-  
fusania, & nondum elaborata carmina vobis placeant,  
studiumq; meum exiguum & jejunum commendatum  
sit. Habeatis illa, legatis & censeatis: meum tamen ani-  
mum non nisi ad officia promptissimum agnoscetis. Vale-  
te. Stendaliæ V. Marchiæ, Mense Decembri, Anno 1601.

*Barptolemans Bilovius à Bilov, C. P.*

AD BARTHOLEMAEVM SCHON-  
becium, Consulem inclutæ Reip.  
Stendal.

**I**n signis Claræ fautor, SCHONBECÆ,  
caterva, (J EHOVAE,  
Consilij cuius patria floret humus.  
Dextera concessit Tibi quas pralarga  
In laudem vsurpas Omnipotentis, opes.  
Velle juvare probos quibus est angusta domires,  
Cultores phæbi te stipis ære ferunt,  
Talia pæniteat non ponere præmia Musis:  
Nobile post cineres hinc tibi nomen erit.  
Divitias quicunq; suas benè collocat, olim  
Perpetua in celi culmine lucra metet.

AD CHRISTIANVM CHRISTIANVM  
Patriæ Consulem, J. C. & P. præstantiss.

**T**anta seges Vatum nostro quod tempore surgat,  
CHRISTIANE, Aonij stella polita chori,  
Ne rogo mireris: Sunt agnoscenda J EHOVAE  
Dona, Poëtarum qui sacra corda movet.  
Eximios potiùs mireris ab arte poëtas,  
Pierio quorum nectare vena fluit.

A 2

Non

*Non omnes siquidem laudem meruere Poëta,  
In quosvis redigunt qui sua verba modos.  
Obtinet hic palmam, & millenos eminent inter,  
Excellens cujus sidera Musa ferit.*

*MARTINO PRAETORIO  
Consuli.*

*In servire quidem patria mens esset amica,  
Congrueret nostro si modo velle DEI.  
Sapè tamen fatis inimica repugnat & obstat  
Unius invidies, consiliumq; viri.*

*IOHANNI SOLTVEDEL  
Consuli.*

*Non omni, SOLTVEDELE, loco commit-  
tere pugnam (bit.  
Convenit: haut palmam quælibet hora da-  
Magna loqui res est in tempore congrua: Certat  
Qui tempestivè, certat honorificè.*

*DE LAUDIBVS PATRIAE.*

*Quòd fera barbaries prisca dominetur in oris  
Marchidos, ut cæci, plurima turba putant.  
STENDALIAE quisquis mores cultumq; videbit,  
Egregijs sanè laudibus adficiet.  
Hic etenim mites fixere habitacula Muse,  
Et Phæbus sedem gaudet habere suam.*

*Marchie.*

*Marchiaca vrbs plures vix protulit vlla Poëtas:*

*Quamta Poëtarum surgit ab arte seges!*

*Hæc laudata viget Respublica! laude Lycæum*

*Floret, & in templis intemerata Fides!*

*Vrbs Arctoa tuas cessa jactare puellas,*

*Custrinumq; ferax delicijs Cypridos.*

*Tu solquella tuis nimum ne queso superbi*

*Dotibus & formis: nam tua fama silet.*

*STENDALIS hanc laudem vobis & premia palma*

*Præripit, & formas prædicat usq; suas.*

*Idq; nec immerito: formosas namq; puellas*

*Hæc alit, ut certent cum Venere & Charisin.*

*Vnica virgo Mihi placuit præ mille puellis:*

*Viva Venus fuit hæc, Musa, Minerva, Charis.*

*O utinam! at saltem vitalia flamina celi*

*Arbiter ambobus des sine labe diu!*

## DELECTARE IN DOMINO

Symbolum Reverendi & Cla-  
rissimi Viri,

DANIELIS SCHALLERI, PASTO-

ris Stendal. in æde B. Virgini Sacra.

**D**electant nimum rebus terrena caducis  
Pectora, qua mundi vexat inanis amor.

Qui sapis. **IN DOMINO tu DELECTARE rogatam,**

Ille tibi dubio tempore mittet opem.

A 3

Eximæ

*Eximet ille, tuum pectus quod pondus acerbae  
Et faciet, fecit qui bene cuncta bonis.*

Tandem Ratio Veritatis Vincet.  
Symbolum THEODORICI RODETICHI  
V Verbenatis, Aedis dictæ Diaconi.

**C**Alumniis, fucis, dolosis fraudibus,  
Mendaciisq; sæpè premitur veritas,  
Iniuriamq; cogitur pati: Tamen  
Nix densa sicuti coruscà lampade  
Solis micante corruiat & dissolvitur  
Calore, tecta quæ fuerunt antea  
Massâ nivis, palam videntur omnibus:  
Pari modo mendaciorum pondere  
Presso, resurgit & refulget veritas,  
Tandemq; Ratio Veritatis Vincit, &  
Palmam perennis obtinebit gloria.

OMNIA AD CHRISTVM.

**C**HRISTE, quid hac aliud vita est, nisi plena teneo  
Quæ speciem mortis tristitiâq; refert. (bris,  
Despicio præsens vitæ genus: atq; beatam  
Adpeto, tristitiâ quæ sine fine caret.

G V I L I E L M O B O C K E L I O  
Med. D. ac totius veteris Marchiæ  
Phyfico Ordinario.

**D**Vm Vatum metricis extollis laudibus Hortos,  
Pieris Aonio quos mea sevit agro:

*Nomine,*



*Nomine, BOCKELI, insertus plautaribus Horti,*

*Dignior, aeterno qui celebreris, eris.*

GEORGIO MARTINIO

à Baldhofen, Sil. Poetae Nobili

L. & N. P. Cæs. Fratri.

**Q***uod careo thalamo RHODOMELLAE, causa pa-*  
*Plurima Nympharum lumina perditè amo. (resciz*

M. IOANNI FRIDERICO

Fr. P. L. Acad. Lips. Prof. P.

**I***n flore aetatis tua vernat amabilis AGNES,*

*Alter qua socij fructus amoris erat.*

*Si vitæ celi concesserit arbiter auram,*

*Vt lepidi fiat vatis amica precor.*

M. IOANNI MESTNERO

Svidnic. Th. Sagan. & P. L.

**Q***ua non naturâ, sed polcra erat arte, puella*

*Qui MESTNERE olim lumine captus eram:*

*Nunc me donatum meliori luminis usu*

*Virgine ditavit splendidiore Venus!*

*Moribus & virtute valet, formâq; venustâ:*

*(Virtute & formâ conciliatur amor.)*

*Heroâ gravitate & mentis cacumine Nymphis*

*Silesiis laudem præripuisse parat.*

*Externa quamvis formæ fulgore coruscet,*

*Attamen interior nos magè forma movet.*

*Exspectet patiens, & seri dulcia lecti*

*Debita! De subito tollam in amore moras!*

A 4

AD

AD M. IOSEPHVM GOEZIVM  
Carnovianum Sil. Poëtam eximium, celeb.  
Sch. Stendal. Rectorem.

**S**ic est, mi GOEZI: Laudatas SLESIA formas,  
Continet! Et polcras Marchis opima fovet.  
STENDALIS exemplo sit, monstratura puellam,  
Quâ non in celi polcrius arce jubar!  
Semidëum thalamis hac dignior esset amica,  
Quam vatum canerent ordine tota cohors.  
Bella sat est, formosa sat est, & moribus aucta,  
Dives & est, casta dum bona mentis habet.  
Si JOSEPHE Mihi talis contingeret vxor:  
Despicerem Divûm Nectar & Ambrosiam!

AD IOACHIMVM STEDERVUM  
Stendal. Pastorem ad D. Petrum, Poetam.

**E**cquid ait rumor? lepida quod langveam amore  
Virginis, à me ornata innumeris numeris &  
Non miror volgi mores: at miror id unum,  
Quod tam difficiles sint in amore moræ!

In Effigiem Danielis Schalleri.

**P**inxit apellaus SCHALLERI lumina fervor:  
Ast animi dotes pingere non potuit.  
STENDALIS illius doctrinam novit & artem:  
Posteritas nomen, fama q̃ dicet anus.

THEO.

M  
THEODORICO RODETIDICHIO  
Palæo-March. Poetæ insigni.

*P*Arvola præstantem genuit VVERBENA Poëtam,  
In lucem quando Te THEODORE tulit.  
Ori etenim infantis primo cum lacte Caménas  
Instillasse reor Musica mella, modos.  
Tanta tua surgit gravitas & gratia Musa  
Dulcis, ut insigni pondere vena fluat.  
Si quisquam dignus Lauri gestare coronam,  
Tu merito Lauri germine dignus eras.

STEPHANO CLEINOVIO  
Verbi Ministro ad D. Mariam  
Stend.

M  
Auxiferis nunquam tua mens est obruta curis:  
Exsulat à lato pectore tristities.  
CLEINOVI, laedis nullos, servire paratus  
Omnibus, ex omni parte placere cupis.  
Verè hominum decus es! nec te discordia demens  
Inquinat: hinc homines, hinc Tibi FOVA favet!

ISAACO SCHALLERO  
in æde cathedrali D. Nicolao  
sacrâ Diacono.

ISACE, Christi sequi ductor fidissime cætus:  
Fulgidior verbi Sole lucerna micat.

A S

Et

*Et tamen in tantâ cœcutit luce sacrorum  
Turba magis, media ac Noctua luce solet.  
Eheu quàm multi motantur arundinis instar,  
Quos vetat exsiliij dicere vera metus.  
Qui coram mundo non sanum dogma fateri  
Audet, Atlantiacis finibus exsul aget.*

PETRO GISIO

Diacono Petrino.

*S*AEPE quidem multos artis commendat aroma:  
Verùm judicij deficit acris odor.  
Felix, qui verum novit discernere falso:  
Ars sine judicio proficit herclè parùm.  
Judicio meliore vales & acumine mentis:  
Qui benè de rebus judicat, ille sapit.

In album M. Andreæ Bunovij Stendal.  
Patriæ Senatoris.

*Q*uam Tibi nunc trado fido cum corde BVNOVI.  
Dextera perpetui testis amoris erit.

A D M E L I S S A M  
amiculam lepidissimam.

*S*Imoror heïc, morior; vel adustus ab ignibus ignem  
Spiro: Cor at flammâs sustinuisse nequit.  
Vror, & ad penitas descendit flamma medullas:  
Virgo mei est cordis flammula, fomes ego.

Virgo,

*Virgo, quid vris? amor si forsitan tale quid urget,  
Hac fati fieri (suntne ea vera?) putem.*

*Fata mihi fatum, crudelia fata, minantur;*

*INSTRUMENTALIS caussa MELISSA; moror.*

*Si moror, & morior! sin caussa MELISSA; sepulcrum*

*Ille etiam, Phæbo Judice, fortè dabit.*

*Ad puellam superbissimam.*

**N***omen ab vrendo si quis tibi finxit, amice,  
Erravit, potius nomen id Vrsa dedit.*

*Namq; ferâ es peior, se vâq; immitior vrsâ,  
Dum vincis tumidas irâ in amore feras.*

#### *AD RHODOMELLAM.*

**Q***uandò doles; doleo: quando letaris; & ipse  
Letor: amica mihi Te sine nulla salus.*

*Te presente capit successus caussa secundos:*

*Te sine letities languet, & omnis amor.*

#### *HENRICO PRAETORIO*

*Stend. Patriæ Reip. Se-  
natori.*

**H***eret ut in picia parvo Mus corpore massa:  
Sic mens in patrijs heret, amice, focis.*

*Scire cupis caussam, PRAETORI? Deme dolosa*

*Retia virginibus. Non ita captus ero.*

*PAV.*

PAVLO A GIZBICE

Pragenſi, Poëtarum Bojemorum  
miraculo, 17. æt. anno Lauru  
Cæſ. Coronato.

**P**AVLLE, quid externas abitu meditaris ad ora,  
Et patria linquis rura beata tua?  
Nonne ſatis Cario tua labra liquore rigaſti,  
Et morum cultâ dexteritate micas?  
Non Te PANNA movet? qua lactia prabeat anſam,  
Ut ſolidâ poſſis ſede latere domi.  
Inq; tua laudes Divæ meditarier ignes,  
Ejus & amplexu nocte dieq; frui.  
Si ſapis ergo, tua ne ſpernit o baſia Nympha:  
Iuncta ſolet Muſis gratior eſſe Venus.

Ad G. Martinium à Baldhofen, Poëtarum  
Sileſiorum Coryphæum.

**Q**uid moneo, cvivis ne adſcribas carmina? parcus  
Per ſe alias titulis diceris eſſe: probo.  
Tu laudas dignos, quorum pia peçtorâ candor.  
Nobilitat; qui non peçtore virus alunt.  
Convenit hæc cautis prudentia (perge!) Poëtis!  
Exemplo poſſem cautior eſſe tuo.  
Namq; Ego dum multos ad ſidera carmine vexi:  
Mens ingrata minas; munera non tribuit.  
Hæc vatum ſors: pro numeris maledicta repor-  
Rara bonus Phœbi præmia cultor habet. (tant,  
AD

AD RHODOMELLAM.

**H**actenus expressis me pinxit Musa libellis:  
Nunc pictum adsiduâ lampade Cypris habet.  
Quæ prius ignoto Cypridos flagrabat amore,  
Interior cordis forma colore micat.  
Corporis exiguo fulgebat honore venustas,  
De proprio majus subdit amica jubar.  
O RHODOMELLA mei domitrix formosior æstus,  
Te sine nolo diu vivere, amoq; mori.

AD M. THOMAM SAGITTARIVM  
Stendal. P. L.

**E**cquid amoriferas, præclare Poëta, sagittas,  
Quas mittit celeri sæpè Cupido manu,  
Expertus nondum? res mirima! totus inardes  
Vsq; Medusæi mellio amore chori.  
Scilicet hæc caussa est, in te quod Cyprius ales,  
Tempore nil ullo juris habere queat.  
Sit modus: interdum sunt tempora danda puellis;  
Artis amatores radia ne capiant.  
Nempe puellarum castos probat Auctor amores:  
Mixt: q; Pierisin Cypris honesta juvat.  
IN ALBVM SIMONIS VVIBLITII  
Ostebrurgensis Marchici, P. L. Patriæ  
Scholæ Rectoris.

**T**E mihi Casariæ generoso germine Laurus  
Conjuxi: nostrâ quersum opus ergo manu?  
Arctius

*Arctius an poterit reperiri fœdus amoris,  
Quàm quod amica parit Phœbo adamata Daphne?  
Fulgeat ut reliquos inter ceu stellula amicos,  
Addo tamen dextra, cordis & effigiem.*

M. HENRICO DECIMATORI  
Giffhornensi, Th. & P. L.

**N**ate juventutis formanda in commoda, nostro  
Munere Lurcolam qui DECIMATOR habes?  
Facta DEI, & laudes majori carminis orsu  
Dignorum celebres sedulitate virum.  
Sic tua florebit Laurus, poteris q̄ virorum,  
Nominis & laudes amplificare tui.

THOMAE NIVENDORPHO  
Saxoni, P. L. Ecclesie Metrop. Magdeb.

Canonico Lectori, & N. P. Caf.

**T**V non admonitus, florens NIVEDORPHE coronâ  
Ornabis Sparte munera clara tua:  
Nam pugil Aonidum robusto gymnade certas,  
Et demto Phœbi Numine sine cales.  
Perge, ut cepisti, numeris extendere famam:  
Factabit vatem Saxonis ora suum.

AD RHODOMELLAM.

**N**unc gaude sine fine! Dies festiva propinquat,  
Fungeris thalamo quâ RHODOMELLA meo.  
Quamto



Quanta hæc pompa foret! quanta exorientur in urbe  
Plausibus innumeris gaudia! quantus amor!

Quanta Poëtarum certamina! quando Thaleia  
Exsilet vates omnis honore sua.

Confluet Aonidum tota ex Helicone corona,  
Ibit & in laudes officiosa tuas.

Si qua fuit Musis lux unquam sacra, MELISSA:  
Hæc erit, hæc pompis nobilis usq; suis!

Ad Patriam, Vatum & Venerum creatricem.  
Incluta præstantes producit SLESIANymphas,  
Que vincunt Phæbi sæpè nitore jubar.

STENDALIS hæc cedit, si non superare videtur,  
Divitij, formâ, moribus Elysias.

STENDALIS ò flore, Vatum, Venerumq; creatrix,  
Quæ tanti polles fertilitate boni!

AD M. JOSEPHVM GOEZIVM

Quæ Tibi Stendalia polcerrima virgo videtur?  
Hanc mihi si claris dixeris ipse modis:

Tunc mihi eris vates, puro generosior auro,  
Et te laurigeris adnumerabo choris.

M. IOANNI CARSTADIO

Stendal. Patr. Sch. Conrectori.

Quid Schola? Pistrinum, sordes, & carcer opacus,  
Augiæ stabulum, Sisyphusq; labor.

Est intonsa seges, quam formas arte, juventus,  
CARSTADI, rigidi sedule cultor agri.

Instila

*Instillare tamen pergas tua dona juventa,  
Et mores molli, quâ licet arte, rudes.  
Sollertem pugilem sic nova palaestra probabit:  
Fritus in Domino non erit iste labor.*

ADRIANO LVDECO

Stendal. Patriæ Sch. Collegæ.

*Non, LVDECE, deest tibi venula; deficit usus:  
Qui celer in quavis arte Magister erit.  
Quam Tibi Pieridum praeses dedit, excole venam:  
Crescet ita; & fructus hinc schola docta feret.*

IOACHIMO STEDERO

Th. & P. suavis.

*Pol, simulare solent probitatis dona puella,  
Ut nuper in convivio Poëtico  
Dicebas, STEDERE, mihi: Qua caussa, puella  
A nubtj, quod tam diu mea abhorream.  
Sæpè peti cum virgo cupit, irritamine vocis  
Ter adlicit, mitemq; ter simulat Deam.  
Stentoriâ latrans post voce adparet Erynnis,  
Cum cor juvenis amore vinctum detinet.*

Ad amicum.

*Sapius ad cenam me invitas gaudia: Sumtûs,  
Nescio, compensem quâ ratione tuos?  
Nulla culina et enim mihi, nec studiosa culina est  
Vxor, honorata polcra corona domus.*

*Jmme.*

Immemorem tamen officij lux nulla videbit,  
Cum fuerit thalamo juncta MELISSA meo.  
Me quoque convivis junxisset avarus amicis,  
Si subito possem par retulisse pari.  
Hoc quoniam nobis Deus & fortuna negavit,  
Me finit (hinc later mente!) latere domi.

IN SORDIVORANVM.

Consilijs, opibus flores, ac munere linguae,  
Stentoria vincis murmura voce boum.  
Oraque, cum rides, geminas diducis ad aures,  
Porgitur & lingua portio crassa tua.  
Cum ridens alios naso suspendis adunco,  
Rideo tunc mores, SORDIVORANE, tuos.

IN VIREANVM.

Sufficient, VIREANE, tibi quot prata, quot hori,  
Si sic crudum avida fauce vorabis olus?

In benignum minus.

Ad cenam me quando vocas, duntaxat honoris  
Ergo vocas, non ut desubito veniam.  
Contempsisse tua videar ne fercula mensa,  
Accedo tantum gratia honoris ego.  
Desine me posthac diversa mente vocare:  
Contentus paucis malo manere domi.

Ad hospitem liberalem.

Accedo quoties te: te retinere libenter  
Mallero, ni deessent fercula, semper ais.

B

Atenti

*Mene putas avidâ talem fauce esse voracem?  
Non conviva cibi sum, sed amicitia.*

*Ad Sartorem quemdam.*

**D***ives es, & Sartor, formosâ conjuge felix,  
Impiger & largus: quei malus esse potes?*

**A D R H O D O M E L L A M.**

**C***Armen amas, RHODOMELLA, meum: plura  
expetis: ultrò  
Mittam, pro numeris basia quando dabis.*

**A D P E T R V M V V A L T E R V M**  
*Stend. Art. & Poët. stud. in Ac.  
Juliâ.*

**V V***IBLITII Lauru nuper viridante capillos  
Prestrinxi, studij non sine fruge sui.  
Si perges Claras ornare decente sorores  
Carmine, sic idem te comitabit honores.*

**A D I M B E R T V M K R A H N**  
*Civem Stendal. Ad finem.*

**D***ignus eras, multis quem commendaret Apollo:  
Pro multis unum distichon addo: Vale.*

**M. IOSEPHO GOEZIO**  
*Sil.*

**A***bstulit atra dies & funere mersit acerbo  
Filiolum, cordis gaudia viva tui.*

*Prole*

*Prole recompensat prolem, Natumq; redonat  
Cura Dei sapiens Omnipotentis Heri.  
Tollitur anxificus turbato pectore mæror!  
Ille SIGISMUNDVS prosperiore satus  
Sidere longævo consumat tempore luces,  
Et vireant patris gaudia, Matris amor!*

**HENRICO PRAETORIO**

LL. Candid. & Poëtæ exquisito.

*Exquisita probas, PRAETORI, carmina: Nobis  
Quod promisisti, trade Melisma typis.  
Hinc patriæ procures mirâ cum laude videbunt,  
Ingenij quàm sit vena benigna tui!  
Crede mihi, nemo scit, te tantum esse Poëtam:  
E tenebris clarum ad sidera tolle caput.*

**JOACHIMO STEDERO.**

*Hactenus hæc vllam spreui, STEDERE, puellam  
Et benè: Vir dignus virgine: Virgo viro.  
Quòd verò plures collando carmine Nymphas,  
Propterea cunctas non amo, nec capio.  
Unâ ero duntaxat contentus & vltus amicâ:  
Qui multas, nullas hic amat atq; capit.*

**AD RHODOMELLAM.**

*Expers es sceleris, ni via virtutis amatrix,  
Inprimis verò in te cadit invidies.  
Nam q; negas mihi labra tua! ô dulcissima labra!  
Preferrem quibus hæc Urbis & Orbis opes.*

In puellam quendam Si.

**T**E multos habuisse procos tellure paternâ,  
Plebs ait: at nemo dignus amore tuo,  
Te censente fuit, tempus, mihi crede, videbis,  
Cum dabitur thalamo Tatatapata tuo.

IN SIMONIS VVIBLITII,

Poetae Cæsarij Zoilastrum,

Poetastrum pessimum,

Poesios pestem.

Patriæ portentum.

**P**RAETERijt Phæbus PRAEjudicium periturum  
Putre Poëtastrum, putidiorè penu

Promptum! pol patitur perversus probra Poëta!

Pasquillos penerit, PRAETereaq; parum!

Portentum patriæ, Phæbo, pestisq; Poësi!

Pernicies plebis, perniciës patriæ!

Perturbatorem, proceres, prob, pellite pacis!

PRAEproperas pœnis perditæ PRAEstigias!

AD RHODOMELLAM SEV MELISSAM,

Puellam quasi Meam, MELISMA Melicum.

**O** MELISSA, nitor puellarum,

**O** MELISSA, Venus, Minerva, Musa,

**O** Sororcula bella Gratiarum,

**O** MELISSA, decus soli paterni,

**O** MELISSA, domûs serena lampas,

**O** MELISSA, mei medela cordis,

**O** MELISSA, mei levamen æstûs,

**O** MELISSA joci potens magistra,

**O** for-

O fortis domitrix mei doloris,  
O ELIDE meas precor querellas!  
    Si tellure diutiùs morarer  
Paternâ, morerer solo paterno!  
    Templi nobile virginella lumen,  
En tuos amo mellios lepores,  
Et tuos colo vinulos amores,  
Amplexor varios tuos honores!  
Florem vix superans trilustris avi,  
Heroâ caput emines staturâ,  
Qualis aut Atalanta Nonacrina,  
Aut Dido Phrygis exsulis virago!  
Virgo mellia, delicata virgo,  
Lanâ mollior, anserisq; plumâ!  
    O puellula, corculum voceris,  
O puellula, melculum voceris,  
O puellula, flosculus voceris!  
Dives gemmula, bellior puella,  
Multo nomine nobilis puella!  
    O puellula, comita virginella,  
O lux, ô Venerilla pumililla,  
Pro metris caperem labella bella,  
Et dextram teneram, venustulamq;  
Et mollem, niviam, rotundulamq;  
Et pictam, roseamq;, candidamq;!  
    Liceret Mihi patulos ocellos,  
Liceret mihi comtulos capillos,

B 3

Lice

M,

ir-

Liceret mihi lactias papillas,  
Liceret mihi candidos lacertos,  
Plenos atq; videre mellis artus!

O si vescerer osculo rapaci!  
O si praelia basiationum,  
Et certamina suaviationum,  
Atq; illas quoq; morsuncularum,  
Atq; illas quoq; pressuncularum,  
Quas Amor parat, expeditiones  
Tecum inire liceret, absq; fine!

Mille da Mihi basiationes:  
Tunc condam Tibi metra mollicella,  
Et pangam Tibi metra blandicella,  
Et canam Tibi metra molliora,  
Et porgam Tibi metra blandiora,  
Aut pro conditione belliora,  
Aut ad Cypridis orsa lectiora,  
Cingens tempora Myrtea coronâ!

Hæc urbs nutrit amabiles puellas:  
Verum, quæ Tibi pâr, puella nulla,  
Æqualis Tibi quæ futura, nulla!  
Tu tu perpetuò virens, manebis  
Sexûs gloria sola feminini!

O vivum decus omnium bonorum,  
O fax nobilis omnium leporum,  
O lux mellia blandulorum amorum,  
O flos eximium nitens honorum!

Rumpat



*Rumpat ilia Zoilus malignus,  
Cernit lumine qui tuos amores  
Transverso, & lacerat tuos honores,  
Inviditq; Tibi tuos lepores!*

*O MELISSA mei medela cordis,  
O MELISSA mei levamen aënis,  
O fortis domitrix mei doloris,  
Vive virginij corona cætus,  
Flora virginia decus corona!*

*Hoc scriptum capias Tibi Melisma,  
O dulcis RHODOMELLA, seu MELISSA,  
Seu quo nomine mellio voceris!*

*Inlustri & Nobili viro,*

D. BARPTOLOMAEO BILOVIO  
à Bilov, Comiti Palatino Equiti aurato, Civi  
Romano, Philos. Poëtæ Coronato,  
Amico optimo.

*Si qui sunt, titulis qui audent illudere partem,  
Atq; ex ore suo Talia Verba Vomunt:  
Diceris esse Comes & Comites nec cernimus ullos,  
Adsciscas Comites, Si cupis esse comes?  
Diceris esse & Eques, sed Equos non cernimus ullos  
Sis ut alas & Equos, vis videaris Eques?  
Diceris auratus, tecum non cernimus aurum;  
Aurea si dederis: aureus esse potes*

*Diceris*

Diceris esse etiam Romanâ Civis in urbe,  
Non visâ ROMA civis an esse potes?  
His ita BILOVI benè respondere memento,  
Ad vomitum vestrum Tale ego aroma fero:  
Sum COMES & Comitum Comites Comitantur de  
vantem

Cum Phœbo Semper Turba Novena Patre.  
Sum quoq; Eques, vastis veclat me Pegasus alis  
Tâm vehor astra super, quam super arva vehor  
Sum Verè auratus, fero Mecum dona Biantis  
Ac aurum quovis Comparo ab arte loco.  
Sum quoq; reverâ Romanâ civis in urbe:  
Antiquus lingua nam mihi perstat honos.

IANVS CHVNRAVVS RVMELIVS  
P. M. D. Physicus Novi fori in sup. Palat.

Nobili & Magnifico,

D. BARPTOLOMAEO BILOVIO  
à Bilov Com. Pal. & P. L. S. P. D.

Sicubi Bilovios producat Marchia multos,  
Actum est de Francis Slesiacisq; Viris.

Francia nî numero vatum ni Slesia vincat

Splendore, ingenijs utraq; victa jacet,

Et victas pudibunda manus Tibi porrigit ultro,

Posce etiam sceptrum, munus Apollo dabit.

M. MICHAEL PICCARTVS

Francus, Acad. Norib. Prof. P.


F I N I S.

Ja 2400

ULB Halle

3

003 919 226





Sb.

WMT

ma







BARPTOLEMÆI  
BILOVII

EPIGRAMMATVM  
LIBELLUS XVI.

IN DOMINI BARPTOLEMÆI BILOVII  
*Viri Nobilis & Doctissimi Tesseram,*

*Spes mea Christus erit: Durum patientia vincet.*

**C***Vispes Christus: Ei spes est Adamantina; vincet  
Nescias; Maior Humo; Soleq; cura DEVM:  
Si comes huic patiens mens; Aspera, duraq; sternit  
Fata; vices subigit; Tartara victa domat.*

CHRISTIAN CHRISTIAN

In procerum veteris Marchiæ val-  
le, patriâ suâ Consul, 8. idus  
Decemb. Anno

1601. F.



MAGDEBURGI,

*Typis Andreae Dunckeri.*